

Hoc enim non est universaliter verum : quia, licet sine tali ornatu possit induci gratia gratum faciens, si adsit contritio, non tamen gratia sacramentalis integra, nec ita intensa gratia gratum faciens, sicut eum isto ornatu, nec ita perfecta remissio peccati quoad culpam et reatum et peccati reliquias. — Quartum dubium est de isto ornatu : utrum sit manens, vel transiens? Constat enim quod, si ponendus sit in sacramento pœnitentiae, ille non semper transit, nec desinit, transeunte sacramento exteriori; alias nunquam cessante fictione haberet effectum transeunte sacramento, ut dictum est, dist. 47; quia ideo, secundum sanctum Thomam, sicut communicans, recedente fictione, non recipit effectum sacramenti Eucharistie, quia sacramentum illud in accidente ficto nihil relinquit, quod postea possit operari, recedente fictione. Ideo ornatus qui imprimitur in sacramento pœnitentiae, non statim transit, sicut ornatus Eucharistie; sed quandoque durat per magnum tempus, donec recesserit fictio, et gratia sacramentalis completa sit, et gratia gratum faciens sit infusa. Et tunc verisimile est quod cessat : quia, si adhuc duraret, tunc semper regulatiter in secunda absolutione major gratia infundetur, vel per plures gradus et intensiores angeretur quam in prima, supposito quod gratia prima non fuerit interrupta per peccatum. Tenet consequentia : quia ibi concurrerent due dispositiones ad gratiam, scilicet primus ornatus adhuc durans, et alius novus ornatus, vel novi gradus superadditi primo; et sic, si in prima absolutione accepit quatuor gradus gratiae, in secunda accipiet ad minus quinque, et in tertia sex, et sic de aliis; quod est falsum. — Quintum dubium est : utrum ornatus unius sacramenti, puta pœnitentiae, sit ejusdem speciei cum ornatu alterius, puta extremæ unctionis, vel Eucharistie? Et dicendum quod non : quia gratiae sacramentales sunt specificè distinctæ; tales autem ornatus sunt essentiales partes gratiarum sacramentalium, ut dictum fuit. — Cetera dicta Petri possunt stare in veritate.

III. Ad aliud argumentum. — Ad ultimum (x) respondet Petrus (dist. 44, q. 4), dicens quod « pœnitere de peccato ad expiationem, ut vitetur gehenna et habeatur gloria, et cum proposito confitendi, non est de jure naturali, quo haec sunt ignota, sed divino, quo haec sunt revelata. » — Haec ille.

Ad argumentum contra questionem, patet responsio per prædicta in probatione secundæ conclusio- nis; quia ibi continetur ejus solutio.

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

(x) *ultimum.* — *quartum* Pr.

QUÆSTIO II.

UTRUM PECCATA PER PŒNITENTIAM DIMISSA IN ALIQUO CASU RÉDEANT IN EO QUI RECIDIVAT

SESTERUM, circa eamdem distinctionem, queritur: Utrum peccata per pœnitentiam dimissa in aliquo casu redeant in eo qui recidivat.

Et arguitur quod sic. Quia ponatur quod aliquis, post veram contritionem de peccatis preteritis, cadat in peccatum, et moriatur statim; constat quod ad infernum descendit. Ergo de peccatis que erant sibi dimissa, ibi punietur; cum non sit sibi tota poena remissa. Ibi enim punietur aeternaliter, quia in inferno nulla est redemptio. Ergo similem reatum incurrit ei quem antea habebat. Et ita videtur quod in isto casu peccata dimissa redeant. Et similis est ratio de illo qui confessus est, et non satisfecit plenarie.

In oppositum arguitur. Quia nullus incurrit peccati maculam, vel reatum, nisi ex commissione ipsius peccati. Sed ponitens, antequam (x) ficeret simplicem fornicationem, non habebat maculam vel reatum homicidii, quod sibi jam dimissum erat; nec postea fornicando homicidium committit. Ergo non credit in homicidium sibi dimissum, quantum ad culpam, neque quantum ad reatum.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutions.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod nullum peccatum per pœnitentiam semel dimissum, nunquam reddit in se idem numero quoad identitatem actus.

Secunda conclusio est quod nullum peccatum per pœnitentiam dimissum, reddit idem numero quoad identitatem culpe vel macule.

Tertia conclusio est quod nullum peccatum semel per pœnitentiam dimissum, reddit idem numero quoad identitatem reatus.

Quarta conclusio est quod peccatum per pœn-

(x) *antequam.* — *quamquam* Pr.

tentiam dimissum, potest redire, non in se, sed in suo effectu.

Has quatuor conclusiones ponit sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 1, ubi sic dicit : « Aliquo modo peccata redire oportet dicere; quia hoc auctoritates expresse dicunt. Quidam ergo simpliciter hoc concesserunt in omni qui patitur recidivum. Nec sicut intentio eorum dicere quod actus ille peccati idem numero revocaretur, vel eadem numero macula, qua prius ablata fuerat per poenitentiam; quia quod omnino in nihilum decidit, idem numero resumē non potest. Sed ita est quod, sicut per peccata commissa aliquis impeditetur, ante peractam poenitentiam de eis, ne gratiam a Deo reciperet; ita eisdem impeditur, postquam a statu poenitentiae decidit per peccatum mortale quo recidivat. Sic enim dicitur peccatum manere quantum ad culpam, inquantum ex actu qui jam preteriit, impeditur quis a gratia receptione sicut a quadam obstaculo posito inter Deum et animam; remitti autem quoad culpam, quando ratione actuum praeteritorum aliquis a gratia non privatur. — Sed haec opinio non potest stare: quia ad causandum tenebras utrumque duorum per se sufficit, scilicet indispositio recipientis, et positio obstaculi; unde, si tenebrae debeat amoveri, oportet et indispositionem tolli, et obstaculum amoveri; et ita poenitentia, quae tenebras peccati tollebat, non solum tollebat indispositionem quae erat in anima ad gratiam suscipiendam, sed etiam removebat obstaculum praecedentis peccati, non quidem quod actus ille non praecesserit, sed quod non haberet vim impediendi gratiam actus praecedens; quae quidem vis actui praedicto restitui non posset, nisi iteretur; quod est impossibile. Et ideo non potest dici quod praedicto modo peccata quoad maculam redeant. — Et ideo alii dixerunt quod non redit peccatum dimissum per quodlibet peccatum sequens, sed per quatuor tantum: scilicet per odium fraternalium, per apostasiam a fide, et per contemptum confessionis, et per hoc quod aliquis dolet se poenituisse. Unde fecerunt versus: *Fratres odit, apostata sit, spernitque fateri, Poenituisse piget; pristina culpa redit.* — Sed haec opinio minus habet de ratione quam prima: quia non potest assignare causam quare per haec quatuor peccata redeant peccata ita dimissa magis quam per alia, cum etiam alia contingat quandoque esse graviora; nisi quod ex auctoritatibus et quibusdam rationibus frivolis duebantur ad dicendum quod per haec peccata redirent peccata dimissa, et videbatur absurdum quod per omnia peccatum sequens peccata praecedentia redirent. Nec sufficit quod dicunt, quod Deus dimitit peccata sub conditione vitandi ista quatuor: quia causa sufficiens educit effectum suum absolute, nihil expectans a futuro; gratia autem et passio Christi, ex cuius

virtute sacramenta habent efficaciam, sufficientissime se habent ad omnem culpam delendam. Et praeterea nulla ratio est quare magis sub conditione vitandi haec peccata, priora remittantur, quam sub conditione vitandi alia; cum omne peccatum contrarietur gratiae, per quam sit remissio peccatorum. — Et ideo dicendum cum aliis, quod aliquid potest redire dupliciter. Vel in se; et sic peccata dimissa nullo modo redeunt quoad maculam, et per consequens nec quantum ad reatum. Vel in suo effectu; et hoc modo peccata dimissa redeunt, inquantum ex peccatis dimissis aliquid in sequentibus relinquitur. Ex hoc enim quod homo Deum per peccatum offendit post remissionem praecedentium peccatorum, quamdam deformitatem magnitudinis vel ingratitudinis actus peccati sequentis acquirit. Et ideo dicitur communiter quod redeunt quoad ingratitudinem. » — Haec ille.

Item, 3 p., q. 88, art. 1, sic dicit: « In peccato mortali sunt duo, scilicet aversio a Deo, et conversio ad bonum creatum. Quidquid autem est aversionis in peccato mortali, secundum se consideratum, est commune omnibus peccatis mortalibus: quia per quodlibet peccatum mortale homo avertitur a Deo. Unde, per consequens, macula, quae est per privationem gratiae, et reatus poenae aeternae communia sunt omnibus peccatis mortalibus. Et secundum hoc intelligitur illud quod dicitur, Jacob. 2 (v. 10): *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus.* Sed ex parte conversionis peccata mortalia sunt diversa, et interdum contraria. Ergo inde manifestum est quod ex parte conversionis peccatum mortale sequens non facit redire peccata mortalia prius abolita; alioquin sequeretur quod homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum vel dispositionem avaritiae prius abolite; et sic contrarium esset causa sui contrarii; quod est impossibile. Sed considerando in peccatis mortalibus id quod est ex parte aversionis absolute, per peccatum mortale sequens redit illud quod fuerat in prioribus peccatis ante dimissionem, inquantum per peccatum mortale sequens homo privatur gratia, et fit reus poenae aeternae, sicut et prius erat. Verum quia aversio in peccato mortali ex conversione quodammodo causatur, ideo diversitas conversionum quodammodo diversitatem aversionum inducit per comparationem ad diversas conversiones sicut ad diversas causas: ita quod, sicut est alia conversio, ita et alia macula, et alius reatus, prout consurgit ex alio actu peccati mortalis. Hoc ergo in questione vertitur: Utrum macula et reatus poenae aeternae, secundum quod causabantur ex actionibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale sequens? Quibusdam ergo visum est quod simpliciter hoc modo redeant. Sed hoc non potest esse: quia opus Dei per opus hominis irritari non potest; remissio autem priorum peccatorum est opus divine misericordiae; unde non potest irri-

tari per peccatum sequens, quod est opus hominis, secundum illud *Romanor.* cap. 3 (v. 3): *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit* (α)? Et ideo alii pónentes peccata redire, dixerunt quod Deus non remittit peccata pénitenti postmodum peccaturo, secundum præscientiam, sed solum secundum præsentem justitiam: præscit enim eum pro his peccatis æternaliter puniendum, et tamen per gratiam facit eum præsentialiter justum. Sed nec hoc stare potest: quia, si causa absolute ponatur, et effectus ponitur absolute; si ergo absolute non fieret remissio peccatorum, sed cum quadam conditione in futurum dependente, per gratiam et gratiae sacramenta, sequeretur quod gratia et gratiae sacramenta non essent sufficiens causa remissionis peccatorum; quod est erroneum, utpote derogans gratiae Dei. Et ideo nullo modo potest esse quod macula et reatus peccatorum præcedentium redeant, secundum quod ex talibus actibus causabantur. Contingit autem quod sequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati, inquantum scilicet aliquis secundo peccans ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat, secundum illud *Romanor.* 2 (v. 5), *Secundum duritiam tuam et cor impgnitens, thesaurisas tibi iram in die iræ*, ex hoc solo scilicet quod contemnitur Dei bonitas, qua ad pénitentiam exspectat. Multo autem magis contemnitur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati secundo peccatum iteretur (6), quanto majus est beneficium peccata dimittere quam sustinere peccatorem. Sic ergo per peccatum sequens pénitentiam redit quodammodo reatus peccatorum dimissorum prius, non inquantum causabatur ex illis peccatis prius dimisis, sed inquantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus. Et hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed secundum quid, inquantum scilicet in peccato sequenti continentur. » — Hæc ille.

Ex quibus possunt formari rationes pro qualibet conclusione. Et ideo, pro prima, arguitur sic: Actus liberi arbitrii, post sui desinitionem et cessionem in nihilum, non potest redire virtute creata idem numero. Sed, si peccatum dimissum rediret idem numero quoad actum, hoc non posset fieri nisi per illum modum impossibilem. Ergo, etc. — Pro secunda conclusione, arguitur sic: Si peccatum semel dimissum rediret in se quoad maculam vel culpam, rediret quoad suam vim. Sed secundum est impossibile. Ergo et primum. — Item, opus Dei non potest irritari per opus hominis. Sed, si peccatum dimissum rediret quoad maculam, opus Dei irritaretur per opus hominis. Ergo, etc. — Pro tertia conclusione, arguitur sicut pro secunda. — Pro quarta, arguitur sic: Illud peccatum dicitur

redire in suo effectu, per cuius remissionem aliquid relinquitur in peccatis sequentibus. Sed peccatum per pénitentiam dimissum, aliquid relinquit in peccatis post remissionem sequentibus. Ergo, etc.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Argumentum Petri de Palude. — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Petrus de Palude (dist. 22, q. 1), dicens: Clarum est quod per solum hominem, vel naturam, corruptum idem numero non reddit, 2. de Generatione (l. c. 70). Sed, supposito quod substantia actus peccati sit a Deo, et supposito quod Deus idem numero corruptum possit reparare, sive sit manens, sive transiens, tunc, si solus Deus illud repararet, esset idem numero quod prius materialiter. Sed illud quod prius erat peccatum, nunc non esset peccatum: quia prius erat peccatum inquantum producebatur contra debitum, ab homine, non inquantum a Deo, qui ad nihil tenetur; nunc autem non producitur ab homine, sed a solo Deo, ut supponitur. Et sic potest a Deo idem peccatum numero redire, non ut peccatum, sed ut actus. Si autem Deus illum eundem actum numero repararet, homine coagente, totum esset idem numero secundum materiam; sed essent (2) duo peccata secundum formam; sicut, si, homine secundo generante, Deus redderet eamdem animam numero quam prius in eadem materia, esset idem numero filius, sed essent duæ generationes, et duæ nativitates. Sed quia, peccatore recidivante, non est credendum Deum miracula facere, ut simul sint opera lucis et opera tenebrarum, ideo simpliciter dicendum est quod non redeunt quoad essentiam. Si autem a solo Deo idem bonum opus numero repararetur, non esset hominis meritum, patiendo in reparato, sicut fuit in primo. Si autem repararetur, homine cooperante, tunc essent duo merita, et unus actus; quamvis sit dubium utrum creatura, quæ non potest cooperari in creatione, possit cooperari in reparatione. Et quidem de reparatione substantiae certum est; quia ibi actio hominis terminatur ad novam qualitatem. Sed de reparatione qualitatis, quod sit nova actio hominis, et non novum actum, est difficile, nisi ut in intentione et remissione. — Hæc Petrus.

(α) *evacuabit.* — *evacuavit* Pr.

(6) *iteretur.* — *iteraretur* Pr.

(2) *essent.* — *erunt* Pr.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM ET TERTIAM
CONCLUSIONES

I. Argumenta Scoti. — Contra secundam et tertiam conclusiones arguit Scotus (dist. 22; q. 1), probando quod peccatum dimissum potest redire idem numero quoad reatum eundem, qui est obligatio ad poenam. Quia Deus potest obligare istum pro B instanti ad eamdem poenam quam pro A instanti; et isto potest obligari ad eamdem, et per consequens habere eundem reatum. Et voco A et B instantia inter quae cadit tempus medium, in quo non est sic obligatus. Antecedens probatur: quia voluntas mea potest hoc velle non ordinare ad poenam sub conditione, si iterum non offendat, et, si iterum offendat, velle eum ex tunc ordinari ad eamdem poenam.

Si dicas quod in hoc voluntas mea non est justa, et, per consequens, simile non potest competere divina voluntati; — Contra: Caus. 12, q. 2, can. *Episcopus qui mancipium* (z), servus manumissus, propter ingratitudinem, poenae iterum servitutis (6) juste subjiciatur. Ergo sic in proposito.

Dicetur quod ista ratio non probat quod eadem numero redeat obligatio, licet redeat obligatio ad eamdem poenam. Hic enim sunt diversae obligationes ad eamdem poenam. — Confirmatur. Quia volitus Dei ad infligendum ei poenam pro A et pro B, non est eadem, sed alia et alia volitus divina secundum rationem, licet sit eadem secundum rem: est enim alia et alia volitus divina secundum rationem (7), secundum diversitatem objectorum. — Contra. Si non poeniteret tempore intermedio, maneret obligatio non tantum ad eamdem poenam, sed eadem obligatio. Sed quidquid Deus potest circa creaturam, manente aliqua continuatione, quae nihil est illius voluti, potest, illo circumscripto; quia illud non est de essentia illius voluti. Ergo, etc. — Item, actus divinus non dependet a peccato extrinseco illius recidivantis. Ergo potest Deus, de potentia absoluta, reducere obligationem istius ad eamdem poenam quam prius, et etiam eamdem obligacionem. Et ita eodem modo quo (8) peccatum remanet post actum, quia non est nisi obligatio ad poenam, potest, de potentia Dei absoluta, peccatum idem redire, non solum in recidivante, sed etiam in non recidivante. — Haec Scotus, in forma.

II. Argumentum Durandi. — Contra easdem potest argui, quoad hoc quod non plene distinguunt de reatu. Quia, sicut dicit Durandus (dist. 22, q. 1), distinguendum est de poena peccato debita, quae est

duplex: una, quae dicitur poena damni, quae consistit in sola carentia gratiae et gloriae; alia est poena sensus, quae includit dolorem mentalem de amissione visionis divinae, et remorsum vel vermem conscientiae, et poenam ignis gehennae. Loquendo de prima poena, dicendum est quod per sequentem culpam redeunt omnia peccata prius dimissa, quoad poenam damni eis debitam: quia per eam aequum privatur homo gratia et gloria, sicut per omnia precedentia peccata. Omnia enim peccata mortalia in hoc habent connexionem quod avertunt a Deo, et per consequens privat gratia et gloria; propter quod aequalis est effectus unius sicut omnium, quantum ad hoc; et sic loquitur Jacobus in canonica sua, dicens (cap. 2, v. 10) quod *qui offenderit in uno, factus est omnium reus*. Loquendo autem de poena sensus, quantum ad eam non redeunt peccata prius dimissa, nisi secundum quid: quia homo non est debitor tantae poenae ut prius; est tamen debitor aliquantulum majoris poenae quam si peccata precedentia non fuissent dimissa, propter ingratitudinem, quae est in peccato sequenti. — Haec ille.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM
CONCLUSIONEM

Ad argumentum Petri de Palude. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem, ad ea quae Petrus objicit contra primam conclusionem, dicitur quod illud quod Petrus secundo loco supponit, est dubium, scilicet utrum Deus quodlibet corruptum vel annihilatum possit idem numero reparare; praesertim loquendo de motibus et actionibus quae tempore continuo mensurantur, et ad quorum unitatem et identitatem numeralem continuitas sine interruptione requiritur. De hoc sanctus Thomas, quarto *Quodlibeto*, art. 5, sic dicit: *In his quae in nihilum redigi possunt, est quedam differentia attendenda. Quaedam enim sunt, quorum unitas in ratione habet durationis continuitatem, sicut patet in motu et tempore. Et ideo interruptio talium indirecte contrariatur unitati eorum secundum naturam. Ea vero quae contradictionem implicant, non continentur sub numero Deo possibilium; quia desciunt a ratione entis. Et ideo, si hujusmodi in nihilum redigantur, Deus illa non potest eadem numero reparare: hoc enim esset facere contradictionia simul esse vera; puta si motus interruptus esset unus.*

(z) *Caus. 12, q. 2, can. Episcopus qui mancipium.* — *12, q. 2, Episcopus Pr.*

(6) *servitutis.* — *servitio Pr.*

(7) a verbo *licet usque ad rationem*, om. Pr.

(8) *quo.* — *cum Pr.*

Alia vero sunt, quorum unitas non habet in sive ratione continuitatem durationis, sicut unitas rerum permanentium, nisi per accidens, in quantum eorum esse subjectum est motui : sic enim et mensurantur hujusmodi tempore, et eorum esse est unum et continuum, secundum unitatem et continuitatem temporis. Et quia naturale agens non potest ista producere sine motu, inde est quod naturale agens non potest hujusmodi reparare eadem numero, si in nihilum redacta fuerint vel si fuerint (x) secundum substantiam corrupta (6). Sed Deus potest hujusmodi reparare sine motu : quia in ejus potestate est quod producat effectus sine causis mediis; et ideo potest ea eadem numero reparare, etiamsi in nihilum elapsa fuerint. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod, secundum mentem ejus, nullus motus, vel actus successivus, potest idem numero reparari. Secus est de actibus non successivis, sed permanentibus. Et de illis forte vera sunt dicta Petri, quod, si Deus talem actum, qui prius fuit peccatum, dum siebat ab homine, repararet, non coagente homine, nec illum conservante, jam non rediret in esse peccati, sed quoad suam essentiam. De hac materia, utrum corruptum vel annihilatum possit idem numero reparari, forte dicetur latius, dist. 43 hujus Quarti.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM ET TERTIAM CONCLUSIONES

I. Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scoti contra secundam et tertiam conclusiones, dicitur primo, quod post peccati dimissionem quoad maculam et offensam, vel culpam et reatum, posset Deus iterum obligare illum cui peccatum sic dimissum erat, sive recidivet, sive non, ad eamdem pœnam ad quam prius obligatus erat ante peccati dimissionem.

Dicitur secundo, quod, etiam in illo casu, potest reparare eamdem numero obligationem, quae prius erat respectu ejusdem pœnæ. Et hoc bene probant argumenta sua.

Dicitur tertio, quod illa obligatio sic reparata, non esset proprie reatus, nec haberet rationem reatus, ut nunc de ipso loquimur : quia non quæcumque obligatio ad pœnam habet rationem reatus, sed illa solum quæ est effectus alicujus peccati; talis autem obligatio, in casu illo, non esset effectus alicujus peccati, sed solius Dei; ideo non esset proprie reatus; sicut nec privatio gratiae habet rationem maculæ, nisi causetur ex peccato. De hac materia, sicut alias (7) recitatum est diffuse, tractat sanctus Thomas, 1^a 2^{re}, q. 86, art. 1, in solutione tertii,

dicens : « Macula non est aliquid positive in anima, sed significat privationem quamdam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum. Et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt. Et est simile de umbra, quæ est privatio luminis ex objectu alicujus corporis; et secundum diversitatem corporum objectorum diversificantur umbræ. » — Hæc ille. — Item, q. 87, art. 1, arguit sic, secundo loco : « Malum non est causa boni. Sed pœna est bona, cum sit justa, et a Deo. Ergo non est effectus peccati, quod est malum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod pœna quidem justa esse potest, et a Deo, et ab homine inficta. Unde ipsa pœna non est effectus peccati directe, sed solum dispositive. Sed peccatum facit hominem reum esse pœnæ; quod est malum. Dicit enim Dionysius, 4 cap. de *Divinis Nominibus*, quod *puniri non est malum, sed fieri pœna dignum*. Unde reatus pœnæ directe ponitur effectus peccati. » — Hæc ille. — Item, art. 6, dicit quod, cessante macula peccati, non remanet reatus secundum eamdem rationem quam prius, quia non pœnæ simpliciter, sed satisfactoriæ. Item, 2. *Sentent.*, dist. 42, q. 1, art. 2, in solutione quarti argumenti, sic dicit : « Privatio gratiae non habet rationem maculæ nisi secundum quod ex actu præcedente inducitur. Et ideo secundum diversitatem actuum sunt etiam diverse maculæ. Quamvis enim quolibet actu peccati mortalis quilibet virtus privetur, non tamen eodem modo; sed actu luxuriæ castitas per se privatur, et aliæ virtutes ex consequenti, secundum quod sunt castitati annexæ; per furtum autem actus justitiæ per se, et aliarum virtutum ex consequenti; et sic de aliis. Et ideo non oportet quod omnium peccatorum sit una macula, vel unus (x) reatus. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit : « Causa proxima reatus est ipse defectus per actum peccati inductus; actus vero est sicut causa remota; unde non oportet quod, transeunte actu, reatus transeat. » — Hæc ille. — Quis autem sit ille defectus in quo fundatur reatus, ostendit, ibidem, in solutione quinti, dicens : « In peccante sunt duo defectus : unus, qui est in ipso actu peccati, secundum quod aliquis limites legis divinae et rationis rectæ transgreditur; alius est in ipso peccante, privatio virtutis ex priori defectu actus inducta. Quamvis autem cum aliquis gratiam recuperat, secundus defectus tollatur, non tamen ex toto primus sublatus est : quia oportet ut quantum voluntati sue obedivit præter legem Dei, etiam in contrarium recompenset, ut sic justitiæ servetur aequalitas; et ideo, post gratiam recuperatam, injungitur satisfactio, et est homo adhuc reus temporalis pœnæ. » — Hæc ille. — Consimilia dicit, 1^a 2^{re}, ubi supra ultimo allegatum est (q. 87, art. 6) :

(x) vel si fuerint. — Om. Pr.

(6) corrupta. — corruptam Pr.

(7) Cfr. 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 1, art. 3, § 3, 1.

(x) ious. — Om. Pr.

« Actus, inquit, peccati facit hominem reum pœnæ, in quantum transgreditur ordinem divinae justitiae, ad quem non redit nisi per quamdam recompensationem pœnæ, quæ ad æqualitatem justitiae reducit, etc. » Item, art. 1, dicit quod ex hoc sit homo reus pœnæ, quia pervertit per peccatum aliquem ordinem, « dum agit contra rationem, et contra legem humanam, et contra legem divinam. Unde triplicem pœnam peccans incurrit: unam quidem a seipso, quæ est conscientiæ remorsus; aliam vero ab homine; tertiam a Deo. » — Ex quibus omnibus apparet quod per solius Dei actionem peccatum prius dimissum non potest in se redire quoad eundem reatum numero qui prius fuit: quia, si obligatio eadem numero, et ad eamdem pœnam quam prius, per solius Dei actionem redeat, nullo modo coagente nec concausante aliquo peccante, alia obligatio a solo Deo causata non habet rationem reatus, proprie loquendo.

Dicitur quarto, quod ratio in oppositum prædictorum adducta non valet, qua dicit: Si non pœnitenteret tempore intermedio, maneret eadem obligatio, etc. Hoc siquidem non valet. Tum quia interruptio peccati per pœnitentiam, facit quod ipsum a cætero non possit causare reatum, sicut ante pœnitentiam causabat; nec Deus sine peccato concausante potest causare reatum. Tum quia, dato quod Deus eamdem obligationem numero repararet, non tamen sequitur quod reparat reatum, ut dictum est: quia reatus aliquid aliud connotat et importat. Tum quia continuatio actus, vel motus, vel peccati, vel reatus, non nihil est actus, aut motus, vel hujusmodi: quia, sicut dictum est, continuatio motus est de ratione unitatis vel identitatis numeralis ipsius; et sic aliquo modo pertinet ad ipsum, in primo, vel secundo, aut alio modo persegitatis, etsi non ad ejus essentiam, tamen ad ejus identitatem numeralem, ut patet 5. *Physicorum* (t. c. 41). Tum quia, si arguens intendat sic arguere: *Quidquid potest Deus producere cum causa secunda, potest producere sine illa; sed reatum potest producere cum causa secunda; ergo, etc.*; — dicitur quod est fallacia figure dictionis, quia mutatur *quid in ad aliquid*, cum reatus implicet respectum ad peccatum ut ad suam causam.

Ad secundam rationem ibidem adductam, patet responsio per prædicta. Dato enim quod actus divinæ voluntatis non dependeat a peccato extrinseco, nec in essendo, nec in causando; tamen reatus sic dependet a peccato, quod non potest fieri, nec esse, nisi causetur partialiter a peccato. Peccatum autem quod cessit in nihilum, nec potest per quacumque potentiam quoad culpam reparari, non potest causare totaliter nec partialiter novum reatum, et multo minus reparare prius deletum. Et ideo actus divinæ voluntatis non potest reparare reatum prius deletum: dato quod posset reparare

omnem obligationem a se solo causatam in peccante; secus est de indignitate et deordinatione quæ se tenet mere ex parte peccantis, quæ propriæ dicitur demeritum pœnæ.

Et hæc sufficiant ad objecta Scoti.

II. Ad argumentum Durandi. — Ad objecta Durandi, dicitur quod per peccata sequentia nunquam redit ille idem numero reatus pœnae sensus, nec pœnae damni, qui causabatur ex peccatis prius dimissis; licet possit redire æqualis reatus pœnae damni, causatus ex sequentibus peccatis; ut ostensus est, in probatione conclusionum, ex dictis beati Thomæ, 3 p.; et in 1^a 2^o, et 2. *Sentent.*, in responsione ad objecta Scoti. — Super hoc Petrus de Palude sic dicit (dist. 22, q. 1): « Peccata dimissa aliquo modo (z) redeunt quoad pœnam damni: quia illam æqualiter patitur moriens in uno mortali, sicut moriens in omnibus quæ unquam fecit. Nisi diceretur sic: quod, sicut pœna damni non habet dolorem in pueris, quia non habent remorsum quod hoc sit propter suum peccatum, licet in purgatorio sic, quia sciunt propter peccatum suum se carere illo bono; sic damnati tanto amplius affliguntur parentia beatitudinis, quanto sciunt se propter plura peccata et graviora illam incurrisse. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad argumentum pro quæstione (6), respondet sanctus Thomas, in præsenti distinctione, q. 1, art. 1, in solutione quinti, ubi sic dicit: « Dicendum quod pro illa parte pœnae quæ sibi dimissa fuerat in confessione, vel contritione, nunquam punietur, sed pro residua, in æternum tamen, ut quidam dicunt: quia, ratione fori in quo punitur, æterna pœna sibi debetur; sicut est de venialibus, quæ in purgatorio puniuntur pœna temporalis, et in inferno æterna. Sed hoc non videtur simile: quia veniale ideo in inferno æternaliter punitur, quia semper manet, cum non sit ibi aliquid quod culpam possit delere; sed pœna ex hoc ipso quod solvit, expiat. Et ideo dicunt alii, quod pœna cuius est aliquis debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod sit in inferno redemptio: quia pœna quæ solvit, non redimitur. Nec est inconveniens quod, quantum ad aliquid accidentale, pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur. » — Hæc ille. — Et consimiliter respondet Durandus (dist. 22, q. 1, ad 3^{um}) ad illam rationem.

Sed contra hanc solutionem arguit Petrus de Palude (dist. 21, q. 1), ex intentione, probans hanc conclusionem: quod pœna debita peccato mortali, seu veniali, etiam hic dimisso quoad culpam, non potest expiari in inferno. Quam probat:

(z) aliquo modo. — aliquando Pr.

(6) quæstione. — conclusione Pr.

Primo. Quia poena quæ nunquam est Deo accepta, nunquam est Deo satisfactoria.

Secundo. Quia sicut gaudium Sanctorum, sive essentiale, sive accidentale, ut aureola, non habet finem; sic nec poena malorum, sive essentialis, quæ est pro mortali, sive accidentalis, quæ est pro veniali.

Tertio. Quia, si homo esset obligatus ad pecuniam certi valoris, solvendo pecuniam nullius valoris, vel non tanti, nunquam liberaretur. Et sic est hic: quia valor satisfactionis est ex charitate. Ideo, etc. Et si poena est finita per se, potest tamen esse infinita ex supervenienti. Unde, sicut poena peccati mortalis, propter poenitentiam, de aeterna sit temporalis; sic, e converso, poena venialis, propter impenitentiam et mortalium concomitantiam, sit aeterna. Et ideo, sicut in celo aeternum erit gaudium de bonis naturæ, etiam factis in mortali, quibus non debetur cœlum per se; sic et in inferno aeternus erit dolor de venialibus peccatis, quamvis eis per se non debeatur infernus.

Quarto arguit, decima quinta distinctione hujus, ut ibidem (q. 1, art. 3) in parte recitatum fuit. Quia non est satisfactio, nisi grata et accepta. Non est autem grata, quæ non est gratia informata. Si dicatur quod Deus non retractat illud quod semel acceptavit, etc. Quære ubi supra (a).

Quinto arguit. Quia non minoris valoris debet esse pecunia de qua solvit debitum, quam illa de qua emitur alienum. Sed per nullum opus potest homo mereri cœlum, nisi sit factum in gratia. Ergo nec solvere poenam, etc., ut supra (6).

Sexto potest argui. Quia sanctus Thomas, decima quinta distinctione hujus, q. 1, art. 3, q^{ta} 2, sic dicit: « Quidam dixerunt quod postquam omnia peccata per poenitentiam in contritione dimissa sunt, si aliquis ante satisfactionem peractam in peccatum decidat, et in peccato existens satisficiat, quod talis satisfactio ei valeat: ita quod, si in peccato illo moreretur, in inferno de illis peccatis non puniretur. Sed hoc non potest esse, etc. », ut decima quinta distinctione (q. 1, art. 1, concl. 3), recitatum est. Item, ibidem, arguit sic, quarto loco: « Satisfactio in quadam adæquatione poenæ ad culpam consistit. Sed talis adæquatio poenæ ad culpam potest fieri etiam in eo qui charitatem non habet. Ergo, etc. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod non potest fieri adæquatio sufficiens, neque secundum divinam acceptationem, neque secundum æquivalentiam. Et ideo ratio non sequitur. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod nulla poena extra charitatem tolerata, est satisfactoria pro peccato mortali remisso quoad culpam, non sublatu reatu. Nec talis reatus

poenæ temporalis restans post remissionem culpæ, potest expiari in hoc sæculo per quantamcumque, qualecumque, quamcumque poenam voluntarie assumptam in peccato mortali. Ergo multo minus quæcumque, vel quantacumque, vel qualiscumque poena in inferno, extra charitatem, contra voluntatem tolerata, potest expiare reatum poenæ temporalis debitæ peccato mortali dimisso quoad culpam.

Septimo; et evidentius, potest argui ex dictis ejusdem, vigesimaprima distinctione hujus, q. 1, art. 2, in solutione tertiae quæstiunculae. Nam minus videretur quod reatus poenæ peccati venialis dimissi in hoc sæculo quoad culpam, esset inexpiable in inferno, propter superveniens peccatum mortale, quam reatus peccati mortalis in hoc sæculo dimissi quoad culpam. Sed primus, secundum eum, non est expiabilis in inferno. Ergo nec secundus. Minor probatur: quia, ibidem, sic dicit: « Culpa non potest ordinari nisi per poenam; et (z) quia Deus nihil inordinatum relinquit, ideo nunquam culpam sine poena dimittit. In illis autem qui damnantur, non potest aliqua culpa dimitti, nec aliquis reatus tolli, cum charitate careant, per quam et culpa purgatur, et reatus tollitur. Et ideo culpa venialis in eis semper manebit, vel ejus reatus, si etiam, ante peccatum mortale, veniale dimissum fuisset quantum ad culpam, remanente reatu. Et ideo damnati de venialibus aeternaliter punientur. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit: « Damnati carent charitate et gratia, cuius virtute culpa purgatur, et reatus. Et ideo eorum culpa, vel reatus, per poenam expiari non potest. Et sic patet quod venialia per accidens habent, mortalibus adjuncta in damnatis, quod non sunt lignum, fœnum, stipula. » — Hæc ille. — Ex quibus manifeste apparet quod responsio quam dat in præsenti distinctione ad argumentum pro quæstione (6) factum, repugnat dictis ejus in aliis locis prima facie. Ideo videtur dicendum quod in inferno nullus reatus poenæ debitæ peccanti post dimissionem culpæ potest expiari, sive peccatum remissum fuit mortale, aut veniale, ut bene probant prædicta.

Sed tunc restant duo dubia. Primum est: quomodo glossabitur aut sustinebitur predicta responsio sancti Thomæ prius recitata? Secundum est: quomodo sustinebitur quod peccata dimissa non redeant, si peccatum in hoc sæculo semel remissum quoad culpam et poenam aeternam, postea in recidivante aeternaliter in inferno puniatur?

Ad primum dubium, dicitur quod illud dictum ultimum sanctus Thomas in præsenti distinctione et responsione dixit forte inadvertenter, non recolens de prioribus dictis suis in oppositum. Hoc enim

(a) Cfr. dist. 15, q. 1, art. 3, § 2, II, ad 4^{um}.

(6) Cfr. ibid.

(z) et. — Om. Pr.

(6) quæstione. — conclusione Pr.

facile contingit in tam longo opere, sicut est Scriptum 4. Sentent., juxta illud Horatii, in Poetica : *Quandoque bonus dormitat Homerus, Verum opere in longo fas est obrepere somnum.* — Hæc ille. — Potest etiam dici quod sanctus Thomas illam ultimam responsonem non ponit tanquam propriam opinionem, sed tanquam recitans dicta priorum doctorum, præsertim magistrorum suorum, vel concurrentium. — Potest tertio dici quod, cum ipse loqueretur in illo articulo de reditu peccatorum dimissorum per poenitentiam quoad culpam et reatum poenæ æternæ, ideo per illam responsonem, vel similia dicta, si qua reperiantur in libris ejus, non aliud intendit nisi quod poenitens recidivans, de quo fit sermo in illo quinto argumento, non punietur æternaliter ex reditu primi reatus, qui abolitus est, vel commutatus in reatum poenæ temporalis, nec ex secundo reatu, in quem primus commutatus est, vel successit primo, sed solum virtute tertii reatus causati per sequens peccatum mortale, quo recidivavit, et a statu poenitentiae decidit, et in quo mortuus est. Nec obstat quod dicit, quod poena inferni ante judicium potest minui, etc. Hoc enim potest sane intelligi : non quidem quod ibi tollatur culpa, vel reatus poenæ; sed quia damnati non semper recolunt de multis, quæ, dum actualiter cogitantur ab eis, inferunt eis dolorem quemdam accidentalem, et dum non actualiter cogitantur, non actu causant dolorem, sicut dicit Petrus de Palude, dist. 22. Et multis aliis modis potest ad illud dubium responderi, cum reverentia sancti Doctoris; hoc adjecto, quod etiam Augustinus multa quæ juvenis dixerat, retractavit; et similiter beatus Thomas, in *Summa*, multa correxit, quæ juvenis dixerat in *Scriptis Sententiarum*. Ideo circa hoc non oportet multum anxiari.

Ad secundum dubium patet responsio per prædicta Petri, dist. 45 (q. 1, art. 3) recitata. Dicendum est enim ad illud argumentum, quod, in casu argumenti, recidivanti remissa erat poena æterna secundum præsentem justitiam, non autem secundum æternam Dei præscientiam. — Secundo, dici potest, secundum Petrum, quod ille præscitus non fuit absolutus a poena æterna nisi sub conditione, scilicet si satisfaceret (α) in charitate in hoc sæculo, vel si in charitate et amicitia remittentis perseveraret. Et ita non sequitur quod reatus dimissus redeat. — Tertio, potest dici quod ille de quo fit sermo, punietur æternaliter, non tamen tam acerbe ac si peccata præcedentia non fuissent dimissa; nec punietur pro primo reatu, nec pro secundo, directe et per se æternaliter; sed per accidens punietur æternaliter, ex adjunctione tertii reatus, qui causatur ex ultimo peccato mortali. Et ita non sequitur quod peccatum semel per poenitentiam dimissum

redeat, nec quoad culpam, nec quoad reatum priorem ab illo procedentem immediate; sed solum in suo effectu occasionali, in quantum reatus sequentis peccati est gravior occasione præcedentium dimissorum, et præcedens peccatum est occasio et causa per accidens vel remota, sicut materia vel objectum sequentis ingratitudinis in recidivante.

Et hæc de quæstione dicta sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XXIII.

QUÆSTIO I.

UTRUM EXTREMA UNCTIO SIT SACRAMENTUM

 CIRCA vigesimam tertiam distinctionem quæritur : Utrum extrema unctione sit sacramentum.

Et arguitur quod non. Quia sicut oleum assumitur ad infirmos, ita et ad catechumenos. Sed unctione quæ sit oleo ad catechumenos, non est sacramentum. Ergo nec extrema unctione, quæ fit oleo ad infirmos.

In oppositum arguitur. Quia sacramenta nihil aliud sunt quam quedam spirituales medicinae. Sed extrema unctione est quedam spiritualis medicina, quia valet ad remissionem peccatorum, ut dicitur, Jacobi 5 (v. 14 et 15). Ergo est sacramentum.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod extrema unctione non est merum et purum sacramentale, sed sacramentum.

Hanc ponit sanctus Thomas, præsenti distinctione, q. 1, art. 1, in solutione primæ quæstiunculae, dicens : « In his quæ Ecclesia visibiliter operatur, quedam sunt sacramenta, ut baptismus; quedam sacramentalia, ut exorcismus. Quorum hæc est differentia : quia sacramentum dicitur illa actio Ecclesie, quæ attingit ad effectum principaliiter intentum in administratione sacramentorum; sed sacramentale dicitur illa actio, quæ, quamvis

(α) satisfaceret. — satisfactionem Pr.